



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 17. De Apostolorum contentione circa primatum; & Christus
præmonuit de scandalo omnium illorum in illa nocte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO XVII.

DE CONTENTIONE APOSTOLORUM, quis illorum videretur esse maior, quos Christus corripuit ac prae-
monuit scandalum, quod illa nocte erant
passuri, & praedixit Petro, quod
ter esset ipsum nega-
turus.

PUNCTVM I.



a Ioan. 13. 37

b Luc. 22.
24.

OSTQVAM dixit Christus: nunc
a clarificatus est filius hominis, &
Deus continuo clarificabit eum:
Mox eructavit in Apostolis spi-
ritus ambitionis, & b facta est contentio inter
eos, qui eorum videretur esse maior. Hic statim
apparet acumen & vivacitas huius passionis
honoris, quae statim in omni occasione erum-
pit: nam qui pau^o ante tr^o stabantur audien-
tes, quia vnus vestrum me traditurus est; nunc
inter se contendunt, quis eorum videatur esse
maior; quis ipsi Magistro familiarior; & po-
tiores ac honoratiores locum apud eum sit
habiturus. Christus autem Dominus noster
mox illam contentionem eiusque originem,
& radicem interrupit, dicens *primum*: multo
aliam

aliam esse rationem agendi in tua schola, quam
 agatur in mundo, & inter Reges gentium; nā
 qui maior est, inquit, in vobis, fieri debet sicut
 minor, & qui praeceptor est, sicut ministrator,
 nam & ego in medio vestrum sum, sicut qui
 ministrat, omnibus in humilitate seruiens;
 sicuti alibi perpendimus. Quos tamen ut ani-
 maret, adiecit: vos estis, qui permansistis mecum
 in tentationibus meis: relictæ igitur præceden-
 di contentione, constantes potius estote, ut
 pergatis mecum permanere, nam ego testamē-
 to dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus,
 regnum. Ut scilicet per humiliaciones & tri-
 bulaciones, ad regnū meum perueniatis, sicut
 & ego per easdem, eodē sum peruenturus. O
 dulcis IESU, ego accepto legatum regni tui,
 etiam cum pacto perseverandi in tribulatio-
 nibus & laboribus, obsequij tui causa. Adiuua
 me, Domine, ut tecum perseverem, ne coro-
 nam amittam. Hinc discam, si quando conten-
 tionem aliquam essem cum aliis habiturus,
 eam non de excellentia, sed de abiectiōe esse
 debere: eodē quod optem ego infimum locum; &
 omnibus subiici: nam hæc via est perueni-
 endi ad excelsoiorem locum in re-
 gno CHRISTI.

Medita. 23.
 3. parte.



PUNCTVM II.

DEINDE considerandum : Christum Dominum nostrum tristitia alia ; & ingrata noua suis Apostolis dixisse : a *Matt. 26.* *31.* *a Marc. 14.* *27.* *a b Zach. 13.* *7.* *Omnes, inquit, vos scandalum patiemini in me in ista nocte scriptum est enim, b percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis, a postquam autem resurrexero, precedam vos in Galilæam.* Atque si dixisset ; vos, quos ego hactenus fauoribus & indulgentia adeo sum persecutus, scandalizabimini in me hac nocte ; cum videbitis quæ mihi euenient ; & me deserentes, fidei iacturam aut omnino facietis, aut hærebitis dubitantes de ea : ne tamen propterea animum abiiciatis ; ego enim resurgens, & procedens vos in Galilæam, iterum recolligam. Hæc dixit illis Christus, partim ut illos humiliaret, & ambitionis fumos faceret euanescere, proposita illis propria ipsorum imbecillitate, ac timiditate, in quam essent deuenturi ; partim verò, ut hac admonitione eos proueniret, ne desperarent, aut animo essent deiecto, propter illum lapsum : promittens illis, se illos visitaturum. Ex utroque capite documentum accipiam, ita in timore viuendi, ne scandalizatus Christum relinquam ; nec tamen desperem, si quando reliquisse contigerit : quandoquidem ad eum se benignum, ad me recipiendum, ostendit.

a Matt. 26.
19.

RESPONDENS autem a Petrus ait illi: et sic

om. nec

omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor, b quia tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire; c qui animam meam pro te ponam. In his verbis ostenditur feruorem, qui non fit cum humilitate coniunctus causam esse multorum errorum. Tres autem hic admisit Petrus.

PIMVS fuit, quod Christo Domino contradixit quo viuis est aliquo modo non adhibere fidem iis, quæ Christus dixit. **I.**

SE C V N D V S fuit, quod se aliis prætulit, plus sibi virtutis & constantiæ tribuens, quam aliis. **2.**

TE R T I V S fuit, quod nimium de suis viribus præsumpserit, seseque iactarit; ex quo euenit, ut ceteri quoque Apostoli, ne Petro inferiores viderentur, & timiditatis notarentur; d omnes similiter responderint: *etiamsi oportuerit nos mori tecum, non te negabimus.* Quod si hæc humiliter dixissent, petentes à suo Magistro ad id auxilium, non impegissent; sed quia ex nimia præsumptione responsio illa procedebat, non fuit ipsi Christo grata, qui propterea merito illis repondere potuisset. **3.**

audimus superbiam Moab; superbia est valde: ego scio iactantiam eius, & quod non sit iuxta eam virtus eius: nec, iuxta quod poterat conata sit facere: quod re ipsa in his discipulis impletum est: sed Christus Dominus noster, reliquis discipulis prætermisissis, conuersus ad Petrum dixit illi, animam tuam pro me ponet! amen amen fido tibi, non cantabit gallus **c Jer. 48. 29** **f Ioan. 13. 38.**

IV. Part. Medit.

O donec

directer me neges & gabneges nosse me. Quod idem fuit atq; si diceret: tu, qui præ aliis præsumis & iactas, præ aliis quoq; scandalizaberis hac ipsa nocte, in qua ter negatus es me. Videturque Christus ternam illam negationem in Petro permisisse, in pœnam trium errorum, quos in suis verbis admisisse diximus, & fusiùs postea videbimus. Hinc accipiam documentum, ne mihi nimium fidens, aliis me præferam: sed demissè, imbecillitati meæ timens, supplicem ipsi Domino nostro, ne manum suam à me sebrahat, quia is ego sum, vt etiam nullo alio scandalizato, ipse scandalicer; nisi suo ille auxilio me sustentet. Aspice Deus meus, magnam hanc meam imbecillitatem, & eius miserere: si enim tu non eam iuueris, in quacunque scandali occasione, erit certa mea ruina.

PUNCTVM III.

CONSIDERANDVM tertio aliud documentum, quod Christus Dominus noster S. Petro quidem nominatim, sed eadem tamen opera cæteris etiam Apostolos dedit; ait enim: *a Simon ecce Satanas expetuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

I. IN his verbis tria magni momenti documenta continentur. PRIMVM quod Satanas eorum aduersarius potestatem sibi fieri petierit ad eos tentandos; sine qua non potuisset, sicut

nec

nec potuit s. b. *Iob*, aggredi, nec c. *quidem in*
porcos intrare, aut vllum illis damnum infer-
 re: sed facta illi est potestas, quia ita expedie-
 bat. Quamuis enim dæmon quæreret eostur-
 bare, & dispergere, sicut qui temerè cribrat
 triticum; voluit tamen Deus eam tentationem
 in illorum commodum conuertere, quò hu-
 miliiores illi, purioresque in posterum mane-
 rent, sicut benè cribratum triticum, remanet,
 purum à lolo & paleis. Quod ipsum consolati-
 onis mihi motiuum esse debet, cum adest a-
 liqua tentatio: existimandum est enim, tenta-
 tionem esse instar cribri, & quamuis dæmon
 furiosè me cribret, non vt perpurget, sed vt
 deiciat; diuina tamen protectio, ita cribrum
 circumdare solet, vt eum, qui cribatur, pro-
 tegat, manumque dæmonis ita contineat, vt
 reipla non solum non deiciat, sed purget ac
 perficiat; nec mihi defutura est hæc protectio
 si demissè & confidenter ad misericordiam
 Dei recurrero.

SECVNDVM documentũ fuit, q̄ ipse Chri-
 stus rogauerit pro Petro, ne fides eius defice-
 ret; ei significans: ipsum proculdubio peritu-
 rũ, satanamque contra eum ita præualiturum
 fuisse, vt omninò ipsũ prosterneret; nisi ora-
 tione sua & protectione ipse eum eripuisset.
 O amantissime IESV, diuinam tuam maiest.
 supplex oro, vt, si facultatem Satanz dederis,
 ad me cribrandum sicut triticum, tu mihi pa-
 tronus sis & protector, ne deficiat fides mea,
 aut charitatis aliquod detrimentum faciam.

b *Iob. I. 12.*
 c *Matt. 8. 31.*

II.

d 1. Cor. 10.
13.

Conuertere Domine ipsam tentationem in meum
commodum, *faciens de cum ipsa tentatione pro-*
uentum, & afflictio, quam sustinueris, sit mi-
hi conflatore instar, in quo ita purificer, ut
quidquid in me erit mali, secernatur.

III.

TERTIVM documentum fuit, cum dixit: &
tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos;
quibus verbis ostenditur misericordia huius
Domini, qua superius positam seueritate tem-
perauit. ut enim ei reuelauit, quod esset cer-
ipsum negaturus, sic reuelat his verbis, quod
esset conuertendus; ne, cum videret se lepro-
sum, desperaret. Item eundem monet ut, ob-
accipiendum conuersionis beneficium, gratum
se ostendat, erga fratres suos eos adiuuans, ut
& illi conuertantur. Vbi adhuc magis eluce-
Christi charitas in suos, cum non dixerit, tu
conuersus gratias mihi ages, quod pro te o-
rauerim; sed confirma, inquit, fratres tuos in
fide & fiducia, curam illorum gere, & in eo
eos adiuua, in quo tu fuisti adiuutus; & sic re-
feres aliquid pro multis, quæ tui
causa ego feci.

